



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**



Apostolum sub die 6. Kalend. Februar. Et cessauit Episcopatus mensibus 2. diebus 13.

## LXXIX.

**A**DEODATVS, natione Romanus, ex monachis, ex patre Iouiano, sedit annis 4. mensib. 2. diebus 5. Huius temporibus Mezentius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali arrepto regno intarzizauit, & exercitus Italiae per diuersa fugit, quousq; DEO auxiliante idem interemptus est, & caput eius intarta Constantinopolim perductum. Post cuius mortem Sarraceni Siciliam obtinuerunt, & multis occisis, populus in montanis, seu in castris confugium fecit. Illi verò reuersi Alexandriam secum asportauerunt, quæ à ciuitate Romana illuc nauigio fuerat delata. Prædictus quoque sanctissimus vir casalia conquisiuit, & in vita sua Abbatem & congregationem ibidem constituit. Post cuius transitum tantæ pluuiæ & tonitrua fuerunt, qualia nulla ætas meminit. Et nisi per Letanias, quæ quotidie fiebant, Dominus propitiatus esset, homines & pecora interirent. Renascentibus quoq; leguminibus denuò in campis propter nimias pluuias nil triturae in horrea recondere valebant. Sepultus autem est beatissimus Adeodatus ad S. Petrum Apostolum sub die 6. Idus Iul. Et cessauit Episcopatus mensibus 4. diebus 15.

## LXXX.

**D**ONVS, natione Romanus, ex patre Mauritio, sedit anno 1. mensibus 6. diebus 10. Hic repperit in vrbe Roma in monasterio, quod appellatur, Boëziana Nestorianistas monachos Syros, quos per monasteria diuersa diuisit, & ibidem monachos Romanos instituit. Cuius temporibus Ecclesia Rauennæ, quæ se ab Ecclesia Romana segregauerat causa autocephaliæ denuò se pristinae sedi Apostolicæ subiugauit. Cuius Ecclesiæ præsul, nomine Reparatus, euestigiò, vt DEO placuit, vitam finiuit. Hic dum esset electus Augusto mense, stella à parte Orientis apparuit à Gallicantu vsque mane per tres menses, & eius radii cælos penetrabant. Quæ post semetipsam reuersa disparuit, & à parte orientis maxima mors hominum subsecuta affuit. Sepultus autem est ad B. Petrum Apostolum sub die 3. Idus April. Et cessauit Episcopatus mensib. 2. dieb. 15.

## LXXXI.

**A**GATHO, natione Siculus, sedit annis 2. mensibus 6. diebus 3. Huius temporibus Theodorus Archiepiscopus Rauennæ

T 4

semet-